

PROMISSAE EDITIONES.

mette beaucoup, il ne fait jamais rien, & dit toujours qu'il fera merveille.

JACOBUS HOLSTIUS Toppingae Medicus scripsit commentarium in Celsum *Morbos. Polybistor. liter. IV. pag. 174.*

PETRUS DACQUETUS Furnensis Medicus scripsit Commentarium in Celsum. *Valer. Andr. Dessel. Biblioth. Belgic. p. 734.*

T E S T I M O N I A

E T

E L O G I A de C E L S O.

*Quintil. Instit. Orat. L. XII. C. XI.*

Quid plura? cum etiam Cornelius Celsus mediocri vir ingenio non solum de his omnibus conscripserit artibus, sed amplius rei militaris, & rusticae etiam, & medicinae praecepta reliquerit? dignus vel ipso proposito, ut eum scisse omnia illa credamus.

*Franciscus Floridus Sabinus Lectio. Subciv. lib. I. cap. IV.*

Cornelium Celsum ego tam excellentem scriptorem fuisse reor, ut paucos ei anteponeudos Latium protulisse censeam, cum medicinam tam candide, eleganterque Romanis literis illustraverit, quam potuit, qui ingenium sic ad omnes scientias versatile habuit, ut ad id unum à natura formatus videretur, quod vir praestantissimus tractare constituisset. Itaque cum ejus, quae exstant, lucubrationibus nihil sit pulcrius, nihil elegantius, quam orate Philosophica explicasse credendus est? de quibus non pauca ab illo Scepticos imitato scripta fuisse, memoriae prodidit Fabius Quintilianus, in iis etiam Celso perlaepe (ut ejus de Oratoria Institutione libri testantur) adversatus, quae ad Oratoriam artem spectantia, utinam cum infinitis aliorum voluminibus commune naufragium passa non fuissent. Nam & Celsi ingenium latius agnosceremus, & Rhetoricos ad Herennium libros non modo non ad Celsum, sed ne ad mediocrem quidem Celsi auditorem esse referendos, tamquam in speculo (ut est in proverbio) conspiciamur.

Clau-

TESTIMONIA ET ELOGIA DE CELSO.

*Claudius Verderius Censlon. in Auctores,*  
pag. 144.

Cornelius (Celsus) de Latinitate est tam bene meritus, ut inter Latinos videatur is, qui inter Graecos Theophrastus fuit. Sed Hippocratem, & Graeca pene omnia parum feliciter vertit. Exemplo sit Aphorismus quidam Hippocratis, quem ille sic interpretatur lib. II. cap. 7. circa finem. *Alvus nigra, inquit, sanguini atro similis repentina, sive cum febre, sive sine febre perniciofa est, ἀντίμαλτον* autem in Hippocratis Graeco non repentinum, sed spontaneum significat: ut idem alio Aphorismo ἀντιμαλτον νόσος ἀσθματικὴ ἢ κήρυκαί ἢ νόσος esse dixit, hoc est lassitudines non quidem repentinās, sed spontaneas, praenuncias & praecones morborum esse. Etenim ex repentino motu repentina lassitudo evenire potest, non tamen erit morbi praenuncia, quia causam habet motum: deinde vero Celsus, *repentina*, particulam ita collocat, ut ad *alvumne* an ad *febrem* referatur, vix dignoscas. Melius itaque vertit Theodorus: *Dejectiones nigrae modo sanguinis atri sponte venientes, cum febre sive sine febre pessimae sunt, & quo plures sunt pravi colores eo pejus: sed si ex medicamento tales digeruntur melius est, & quo plures non pravi colores eo melius.* Nec quoque integrum Aphorismum vertit Celsus, sed sententiam Hippocratis secuit per medium. Nec Theodorus utique bene vertit, sic enim transtulit Aphorismum 79. particulae IV. *Si quis sanguinem mingit, & grumos, & guttatim emittit urinam, ac dolorem ad ventrem inum, & peccinam & foemen, vitii vesicae laborat.* Celsus in eundem errorem incidit. *Aut si paulatim distillat, ait Celsus, vel si sanguis per banc editur, & in eo quaedam cruenta concreta sunt, idque ipsum cum difficultate redditur, & circa pubem inferiores partes dolent, in vesica vitium est.* Graecum autem Hippocratis, *in vesica*, non habet, sed *circa vesicam* hoc est, ἀπὸ κύστης. Celsus lib. II. cap. 2. *Si Austri pluviaeque hyemem occuparint, ver autem frigidum & siccum est, gravidae quidem foeminae, quibus adest partus, abortu periclitantur: haec vero, quae gignunt, imbecillos vix* que

TESTIMONIA ET ELOGIA DE CELSO.

que vitales edunt. Ceteros lippitudo arida, & si seniores sunt, gravedines atque destillationes, male habent. Haec ad verbum ex Hippocrate esse videntur, nisi quod *εὐτε μὲν ἀποδιώκεται*, male habere non est. Magna certe est differentia inter male habere & continuo mori. at male habet, qui continuo moritur. credo equidem: sed ita sit, Celsus Hippocratem non bene vertit. Pylorum intestinum à Graecis ita dictum esse commentatur, quod per partes inferiores, tanquam per ostium, ea quae in corpore excrescunt, emittat: cum Pylorum, pugnantè à diametro ratione, tale nomen fortitum esse ex Galeno pateat, quia scilicet nihil nisi prius in chylum (chylum enim pro Latina voce usurpant medici) conversum tanquam bonus janitor exire finat, & postea ad inferiora intestina deducit, non ut dejiciat, sed ut remoretur potius in corpore, & ab hepate in sanguinem transmittatur. Eaque ratione permotus Galenus V. de Usu partium, non *ἀποδιώκεται*, sed alimentorum ait esse instrumenta: ideoque à natura flexuosa facta, ut cibus non repente fluat, sed persans concoquatur & nutriat. Apud Celsum denique observationes quaedam sunt ludicrae, qualis haec, si nimirum aegrotus summis digitis extrema parietum evellat, hoc est, lapillos ex muro eradicet, signum mortis esse.

Ab hoc Latinitatis amantes Latinas morborum nuncupationes repetere debebant. *Vertunianus in Hippocrat. librum de vulneribus cap. p. 71.*

Medicorum Deus. *Casaub. Ep. 29.*

Purissimus Scriptor Cornelius Celsus.

*Voss. de Vitiis Serm. I. c. 16.*

Janus Doufa, Epigram. Acad. Leid. Praef.

Ad Cornelium Celsum.

*Facta urbana tuo res Rustica munere scriptis*

*Nec minus illustris est Medicina tuis.*

*Hinc quoque militiae tractasti commoda Rbetor,*

*Hoc Martem Musis jungere Celse fuit.*

Balduinus Ronseus, Gandav.

De Cornelio Celfo.

*Hippocrati quantum debet Cos insula magno,*

*Pergama tantundem doctæ Galene Tibi.*

His

TESTIMONIA ET ELOGIA DE CELSO.

*His tamen ambobus quantum sua patria debet,  
Tantum Corneli, maxima Roma Tibi!*  
Joan. Sambucus, Sub imagine Celsi,  
De Eodem.

*Aufonias Caus votis perductus in oras  
Edidit hunc foetum, veste fovetque sua.*  
*Hic puris repetit verbis quaecumque probantur,  
Et superat molem, Forliviane, tuam.*  
Pithoeus Epigram. Vet. lib. 2. pag. 48.  
Cornelius Celsus.

*Dictantes medici quandoque & Apollinis artes  
Musas Romano iustinus ore loqui.*  
*Nec minus est nobis per pauca volumina famae,  
Quam quos nulla satis bibliotheca capit.*  
De Cornelio Celso  
Incerti.

*Cui Celsum ingenium dederat natura, quid illi  
Mirum, si CELSI nomine nomen adest?*  
*Hippocrati multum debebas Graeque quod artem  
Partibus innumeris excoluit medicam.*  
*Plus meruit CELSUS: Latiis namque intulit oris  
Artem hanc; quod majus quam excoluisse reor.*  
*Hippocrates arti Graios invenit amicos,  
Nec suasse quis huic, sed docuisse, fuit.*  
*CELSUS abhorrentes Romanos traxit ad artem,  
Et miro medicos reddidit eloquio.*  
*Omnia quae Caus, scripsit, sed plura; quid ergo  
Est opus ut magno cedat hic Hippocrati.*

*Lilius Gregorius Gyraldus Dialogismo xv.*  
Existimo te, Hieronyme doctissime, probe scire,  
quantae auctoritatis sit Cornelius Celsus apud Lati-  
nos; probeque accedere ad Ciceronis elegantiam;  
Quapropter soleo libenter ejus lectione delectari.  
*Caspar Bartbius ad Statii Thebaid. L. III. vs. 367.*

*P. 777.*  
Pariter loquitur elegantissimus eorundem tempo-  
rum aut paullo superiorum auctor Cornelius Celsus,  
cujus utinam omni genere edita scripta ad nos per-  
venissent.

*Caspar Bartbius ad Statii Thebaid. L. II.*  
*vs. 677. pag. 611.*

Nos Corn. Celsum secuti ita optime nos Latine loqui

TESTIMONIA ET ELOGIA DE CELSO.

loqui putamus, quem ille (Nonius) cum minoris alibi auctoritatis esse jactat, cum supercilio suo Grammatico. &c.

God. Steuwichius ad Veget. de R. M. III. 6.

Cornelius Celsus auctor Latinae Linguae idoneus, & locuples, si quis alius.

Jacobus Mosantus Briofius,

Cornelio Viquanno Cadomenfi Medico.

Et ut innumeris alios omittam, sit unus instar omnium inclytus ille tui agnominus Cornelius Celsus: Deus bone! quam diserta illius dictio, quam Latina & castigata! quam beatum, in quo vixit, aevum redolens! Scio sibi persuadere multos, illum non medicum de re medica scripsisse, sed fallunt aut falluntur. Epistol. pag. 77.

Ulyss. Aldrovand. de Insect. L. 1. c. 3. de Cera.

Nihilo scilicet insolentius atque a Celso gravi, & Latinae Linguae auctore.

H. F. ab Aquapendente Operat. Chirurg.

Part. 1. cap. 7.

Primo sese offert Celsi maxime proprius Latine loquendi modus, quem ego inter caeteros admiror:

Idem.

Operat. Chirurg. Part. 1. cap. 17.

Notetis Celsum, qui ad amussim semper loquitur, tres usurpare voces, *filum*, *linum*, & *aciam*.

Idem.

Operat. Chirurg. Part. 1. cap. 32.

Mirabilis Celsus in omnibus, quem nocturna versare manu, versare diurna consulo.

Christophorus Cellarius in Prolegom. Curar. Posteriorum de Barbarismis & idiotismis Sermonis Latini pag. 19.

Proximus Augusti temporibus Cornelius Celsus fuit Medicinae scriptor elegantissimus a Columella I. cap. 1. & Quintiliano XII. cap. ult. laudatus, quem ipsi aureo seculo nonnulli inserunt.

Idem in Aureo saeculo p. 81.

Accedit Celsus, scriptor vix inferior iis, qui sub Augusto floruerunt.

Idem saeculo Argenteo p. 110.

At Cornelius Celsus, nisi ipse consors Augusti aevi, certe eidem proximus.

\* \* \* \* \*

IN